CHRISTIANO EGENOLPHO CIVI FRAÑCOFORDIANO, *Amico ſuo, Philippus Melanthon Salutem Dicit.*

HONESTISSIME uir et amice chariſſime, Etſi diſsimilitudo eſt artificum, ut Iuriſconſulti dicunt, tamen ſtudia inquirentium naturam mediocri diligentia iuuanda & ornanda ſunt. Scripſit autem de Metallis & eorum generatione et uarietate quidã Salueldenſis, Chriſtophorus Encelius, non ut certet cum uiro doctiſsimo & ingenioſiſsimo Georgio Agricola, ſed ut ſuo aliquo labore ſtudia philoſophica adiuuet. Id opus edi optamus. quare te ualde oro, ut uel tuis